



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**  
**Coloniae Agrippinae, 1657**

Decretvm IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

à Campo, absentium contumaciam accusavit his verbis:

Admodum Reverendi, Prænobiles, & Clarissime, Domini: cum ex recensito Catalogo &c. ut habetur supra in Synodo Osnabrugensi majore.

Pag. 5. col. 2.

Ad hæc D. Officialis, communicatione cum aliis Deputatis breviter habita, sic interlocutus est: Domini mecum Deputati per me decernunt &c. ut ibidem.

Pag. 6. col. 1.

Pena tamen absentium, Illustrissimæ Suae Celsitudinis declarationi reservata fuit.

Subsecuta tum concio Synodalis; quam de more habuit Dominus Conradus Barenus, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Pastor. Quâ finita, Secretarius Synodi ex manibus Deputatorum accepit Decreta Synodalia; rogavitque, num placeat hæc ipsa in præsentè Synodo publicari.

Annuentibus Dominis Deputatis, primum Decreta Synodi generalia. & in omnibus Synodis prælegi solita, usque ad Decretum de professione fidei faciendâ inclusive, prælegit; & deinde sequentia publicavit.

S E Q V V N T V R

DECRETA SYNODALIA,

Ex mandato Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Osnabrugensis &c. Domini FRANCISCI GVILIELMI, die XVIII mensis Martii anno MDCCLIII, Osnaburgi, in Synodo vernali, publicanda.

DECRETVM I.

**F**RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Osnabrugensis, &c. Posteaquam, magnis sumptibus, pro majore cultus divini augmento, & instructione Parochorum, opera quædam, videlicet Proprium Sanctorum Dioecesis Osnabrugensis, Agendam seu Rituale, præsertim pro Parochiis, item Missas proprias Sanctorum Dioecesis Osnabrugensis, typis edi curavimus: hinc, in virtute sanctæ obedientiæ, mandamus omnibus & singulis, ut illos libros, non solum quantocius, tam pro se, quam pro Ecclesiis suis, sibi comparent, verum etiam sese iis in omnibus accommodent, regulasque & rubricas traditas, diligenter, semota omni novitate vel antiquitate, ad amussim observent, singulorum prædictorum librorum duplex exemplar habeant, unum in domo pastorali, & alterum in Ecclesia, ejusdem Ecclesiæ sumptibus emendum. Inscribatur etiam nomen Ecclesiæ frontispicio, ne aliæ manus hujusmodi librum sibi vendicent.

DECRETVM II.

**C**Vm etiam Catechismum, Cantionesque in Ecclesiis observandas, pro uniformitate, ac aliorum non approbatorum librorum (qui, præ dolor, hoc perturbato belli tempore irreperunt) eliminatione, typis edi fecerimus: proinde quisque Pastor aliquot exemplaria, pro necessitate suæ Parochiæ & Scho-

larum, sumptibus Ecclesiarum similiter emet, tam per se quam per ludimagistros distribuenda.

DECRETVM III.

**V**olumus præterea, ut, intra mensem à finita Synodo, singuli Decani rurales à singulis sui Decanatus Ecclesiis ac personis informationem capiant; num, & quot, exemplaria, juxta hoc nostrum Decretum, sibi comparaverint.

DECRETVM IV.

**A**ntiquas Agendas, quibus hæctenus usi sunt, qualescunque illæ sint, uti & Catechismos, librosque cantionales Germanicos, à pueris & ludimagistris accipiant, & dictis Decanis, cum designatione in scripto, transmittant. Decani vero dictas informationes ac designationes Officiali Nostro, juxta præfixum illud tempus, consignent, ut Nobis debitam relationem facere possit.

DECRETVM V.

**N**E autem hac in re difficultas sit, constituimus, ad hos libros vendendos & distribuendos, Theodorum Hulsborst, Vicarium Cathedralis Nostræ Ecclesiæ Osnabrugensis, à quo petenda erunt exemplaria; quorum compactionem ad debitum usum ipsi Pastores suis locis promovebunt.

DECRE